

muller asserat, matrimonium esse consummatum, altera parte negante asserenti creditur, & pro matrimonio, in cuius possessione sunt, pronuntiat; *arg. c. 65. de Reg. jur. in 6. Saneb. de Matr. lib. 7. D. 109. n. 2. & 9.*

141 Impotentia cocundi cognoscitur, ex eo, quod vir habeat membrum flaccidum, vel valde diminutum, & exile; vel etiam valde magnum, vel ob tortum, vel rugosum; vel testes, aut nullos, aut valde exiguos, vel quod mulier sit valde arcta, & obstructa; vel aliter sint impotentes ob diversos morbos, quos refert *Gonz. in cap. 3. b. t. n. 7.* Quod si nullum vitium apparens habeat, cognoscetur frigiditas ab effectu; si nunquam membrum erigatur. Etiam magnum signum frigiditatis est, si vir non appetit venerea, nec sentit stimulos carnis, cum hoc aded naturale sit, ut vix ullus ab eis eximatur. Non tamen censetur frigidus, qui in vigilia, vel in somnis aliquando polluitur: vel si aliquando ejus membrum erigatur. Quod si vir appetat coitum, & virgam erigit; sed quando ad actum venerum appropinquat subito relaxantur, & concidunt organa, nec potest complere, & postea iterum rigent, etsi iterum copulari nitatur, denuo laxantur, cum id nequeat provenire ex frigiditate viri; nec possit naturaliter accedere, est signum, talem impotentiam ex maleficio oriri, quod magis constabit, si ad aliam foeminam possit accedere. Sic *Saneb. de Matr. lib. 7. D. 94. n. 5. & 6. plures citans.* Qui probata impotentia absoluta, est separatus à sua uxore Ecclesie auctoritate, cum nulla alia potest contrahere, quod si contrahat, ex *Text. in cap. 5. b. t.* erit reus perjurii. Et tale matrimonium est dissolvendum, vel quia verè impotens est: vel si non est impotens, quia obstat prius matrimonium, *cap. 5. cap. fin. b. t.* Et etiam si prior uxor obijisset, debet separari, donec ipse probet, male fuisse judicatum, cum ipse potens sit. *Saneb. de Matr. lib. 7. D. 99. num. 6.* si ob impotentiam respectivam dissolutum est, etiamsi impotens per miraculum potens reddatur, non potest cogi ad antecedens matrimonium, quippe nullum est, multoque minus, si jam aliud matrimonium est contractum.

142 Potest tamen accedere, quod dissoluto matrimonio ob impotentiam absolutam, postea appareat potens, qui impotens credebatur: & tunc quocumque tempore hoc appareat restaurandum

est prius matrimonium, etiamsi novum contractum sit, *cap. 6. b. t. L. fin. tit. 8. p. 4.* Quia Ecclesia fuit decepta, & ex errore protulit sententiam, quæ contra matrimonium nunquam transit in rem judicatum: etiamsi ab ea non appelletur, *cap. 7. de Sentent. & Re judicat.* potest tamen, potens respuere cohabitationem cum altero tanquam adultero, si illicitam copulam habuit, *cap. 6. b. t. Saneb. de Matr. lib. 7. D. 101. n. 3. Abb. Laym. & alii.* Si impotentia, quæ verè erat perpetua, per miraculum, vel Artem Magicam cesser, non restauratur prius matrimonium: siquidem verè nullum fuit, *cap. 6. b. t. secus si tollatur per exorcismos, vel orationes, cap. fin. 33. q. 1. Saneb. de Matr. lib. 7. D. 94. n. 10.* Denique ferè totam materiam breviter comprehendit. *D. Th. in 3. p. Supp. q. 58. art. 1. ibi: Responded dicendum, quod in matrimonio est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum; unde sicut in aliis contractibus, non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc, quod non potest dare, vel facere; ita non est conveniens matrimonio contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum carnale solvere non possit. Et hoc impedimentum vocatur impotentia cocundi, nomine generali, que quidem potest esse, vel ex causa intrinseca, & naturali, vel ex causa extrinseca, & accidentali, sicut per maleficio, de qua post dicitur. Si autem sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter, quia vel est temporalis, cui potest subveniri remedio medicina, vel processu atatis: & tunc non solvit matrimonium: vel est perpetua, & tunc solvit matrimonium: ita quod ille ex parte cuius allegatur impedimentum perpetuo maneat absque spe conjugii: alius nubat, cui vult in Domino. Ad hoc autem cognoscendum, utrum sit impedimentum perpetuum, vel non perpetuum, Ecclesia tempus determinatum adhibuit, in quo hujus rei possit esse experimentum: scilicet, triennium, ita quod, si post triennium, in quo fideliter ex utraque parte dearent operam carnali copula implende, invenitur matrimonium, non esse consummatum, iudicio Ecclesie dissolvitur. Et tamen in hoc quandoque Ecclesia errat, quia per triennium, quandoque non sufficienter experiri potest perpetuitas impotentie. Unde Ecclesia si se deceptam inveniat, per hoc quod ille, in quo erat impedimentum invenitur carnalem copulam, cum alia, vel cum eadem perfecisse, reintegrat matrimonium præcedens, & dirimit secundum; quamvis*

de ejus licentia sit factum. Et in art. 2. ait: Ideo distinguendum est, quia impotentia cocundi ex maleficio, aut est perpetua, & tunc matrimonium dirimit, aut non est perpetua, & tunc non dirimit: & ad hoc experientiam eodem modo Ecclesia tempus triennii præfixit: tamen hæc differentia est inter maleficio, & frigiditatem: quia qui ex frigiditate, est impotens, sicut est impotens ad unam, ita ad aliam, & ideo, quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei, ut conjugatur alteri, sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam, & ideo, quando iudicio Ecclesie matrimonium dirimitur, utrique datur licentia, ut alteram copulam querat.

TIT. XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie.

143 UNUM ex impedimentis impediens matrimonia est interdictum, seu prohibitio Ecclesie, qua jubet, matrimonium non contrahi, vel quia impedimentum latere suspicatur, vel quia sponsalia præcesserunt, vel quia rixæ, inimicitie, vel alia incommoda timentur, *c. fin. de Cland. Desponsat. c. 1. c. 2. b. t.* Tunc enim Parochus potest, & debet matrimonium extrajudicialiter interdiceret: præsertim si matrimonio impedimentum opponatur, donec causa judicialiter discutatur à Judice Ecclesiastico, *c. fin. b. t. L. 18. tit. 2. p. 4. Saneb. de Matr. lib. 7. D. 6. num. 6. Gonz. in c. fin. b. t. n. 2.* Episcopus, Capitulum Sedevacante, & utriusque Vicarius, & quicumque Prælati Ecclesiastici habens jurisdictionem, quasi Episcopalem in populum, & Clerum certi territorii possunt interdiceret judicialiter matrimonium, quod si contra tale interdictum contrahatur, validum quidem erit. *c. 1. c. 2. b. t.* illicitum tamen, quippe est contra præceptum Ecclesie in re gravi; *arg. c. fin. b. t. Barbo. in c. 2. b. t. Saneb. de Matr. lib. 7. D. 17. n. 1.* Quin, & matrimonium contractum contra interdictum S. Pontificis validum est. *c. 1. c. 2. b. t.* etiam post Trid. *Barbo. in c. 13. de Desponsat. Impub. n. 3. & 5.* Et quamvis in *c. 4. de Sponsa duor.* irritetur matrimonium contra interdictum celebratum, non irritatur præcisè, quia

est contra interdictum; sed quia erat contra matrimonium antecedenter contractum: irritaretur tamen, si Pontifex non solum voluit illud simpliciter prohibere, sed interdiceret, sed etiam voluit illud irritare, clausula irritante speciali, vel generali adjecta. *c. 13. de Despons. Impub. Saneb. de Matr. lib. 7. D. 2. c. x. 3. Gonz. in c. fin. b. t. n. 2. & alii.*

144 Tempore feriato prohibentur nuptiæ, quia cum tempus sacratius sit, & jejuniis orationi, & pœnitentiæ ab Ecclesia destinatum, non decet homines nuptias solemnes celebrare: nec est conveniens luctibus ille color. Nam in toto Orbe mos invaluit, nuptias tripudii, choreis, musicis, conviviis, aliisque lætitiæ signis celebrandi, ut optime quidam depingit: Tadas Hymeneus, amorque præcipiunt: largis satiantur odoribus ignes, æraque dependunt tectis, & ubique lyraque, thiaque, & cantus animi felicitia læti argumenta sonant: referatis aurea valvis, atria tota patent, pulchroque instructa paratu Cephæni proceres ineunt convivii Regii. Et quidem jure antiquo tempus feriatum erat totum illud, quod est inter primam Dominicam Adventus, quæ incipit, vel à primis vespers juxta *Saneb. de Matr. lib. 7. D. 7. n. 2.* vel à media nocte Dominicæ juxta *Ponz. de Matr. lib. 6. cap. 8. n. 5.* & Epiphaniam. Et inter Dominicam Septuagesimæ, & octavam Paschæ. Et inter feriam 2. Rogationum, & octavam Pentecostes. Et duæ, vel tres hebdomadæ ante festum S. Joannis Baptistæ. *c. 8. c. 9. 33. q. 4. c. 4. de Feriis, L. 18. tit. 2. p. 4.* Hodie est hoc tempus restrictum à Trid. *sess. 24. de Ref. Matr. cap. 10.* Et est ab Adventu, usque ad Epiphaniam. Et à feria 4. Cinerum, quæ à media nocte feriæ tertiæ computanda est, usque ad octavam Paschatis inclusive. Non prohibet Ecclesia hoc tempore denuntiationes, quia ex nullo Textu constat prohibitio, nec matrimonio, si sine solemnitate, & pompa fiat, ut contra aliquos tenent *Saneb. de Matr. lib. 7. D. 7. n. 12. & alii.* Et probatur *arg. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 10. Et Ritual. Rom. tit. de Sacramentis.* Et declarat *vit S. Congreg. Trid.* Et expresse habetur in *L. 18. tit. 2. p. 4. ibi: Bien pueden hacer desposasias, è matrimonio por palabras de presente.* Nec est prohibitum in illo tempore consummare matrimonium ut contra aliquos tenent *Naw. Man. cap. 22. n. 71. Saneb. de Matr. lib. 7. D. 7. n. 23. & alii.* Solum ergo, prohibet Ecclesia,

& quidem sub gravi, benedictiones nuptiales. *Hispani: Velaciones. arg. c. 10. 33. q. 4. l. 18. tit. 2. p. 4. ibi: Non deben velar los novios. Saneh. de Matrim. lib. 7. D. 7. n. 3. Etiam prohibetur pompa nuptialis, quæ in conviviis, choris, aliisque hujusmodi consistit. Et multis in locis consuetudine esse introductum, quod etiam sine solemnitate his temporibus, non celebratur matrimonium, nisi licentia obtenta ab Ordinario.*

145 Huc pertinet valde antiqua, & generalis prohibitio, qua ab antiquo in variis Provinciis, & præcipue in nostra Hispania prohibuitur, & interdictum est, ne Provinciarum Rectores, vel Magistratus durante officii tempore, infra fines Provinciæ, sibi commissæ, uxores ducant, vel filios, aut filias suas ducere patiantur. Tum propter metum, & impressionem, quæ in ejusmodi matrimoniis intervenire solet: tum maxime ob vitandas necessitudines, familiaritates, & amicitias, quæ ipsas matrimoniis mediantibus, generantur & liberam justitiæ administrationem impediunt, pluribusque recusatibus occasione præbent. *L. 38. l. 57. l. 63. l. 65. ff. de Rit. nuptiar. l. 2. tit. 14. p. 4. ibi: Cálal one como este non podria recibir muger legitima de nuevo en toda aquella tierra onde fuesse Adelantado, en quanto durasse el tiempo del Adelantamiento. l. 25. tit. 4. lib. 2. R. C. l. 82. l. 84. l. 85. l. 86. tit. 16. lib. 2. R. Ind. Et quidem in Indiis magis stricta, & enixius concepta invenitur prohibitio, qua sub privatione officii, & stipendii nostri Potentissimi, Catholicique Principes prohibent Indiarum Ministris, ne talia matrimonia contrahant: vel expresse, aut tacite, quobis colore quasito liberis volentibus contrahere assensum præbeant. Et sanè tales Leges juxta sunt, & servandæ, non enim intendunt facere irrita, vel illicita matrimonia contra eas celebrata, cum hoc non possit fieri à Potestatibus Secularibus, sed solum ex juxta causis, & consideratione boni publici potnam statuant in eos, qui tales Leges transgrediuntur: quin ex hoc tollant libertatem ad matrimonia; sed quasi sub conditione disponunt, quod non aliter, quis talibus officiis fungatur, nisi matrimonium non contrahat: relicta de cætero illis libertate ad matrimonium contrahendum. Imò, & in ipsis dignitatibus substinebuntur si à Rege licentiam ad matrimonium contrahendum obtineant, ut Plures faciunt. *Latus Solorz.**

de Jure Indiar. tom. 2. l. 4. cap. 4. ex numer. 57.

146 In præsentem etiam agendum est de dispensatione in impedimentis matrimoniorum, tam dirimentibus, quam impedimentibus obtinenda: quippe ejusdem potestatis est, & velle impedimenta apponere, & nolle, ea subsistere, ea per dispensationem solvendo. *L. 3. ff. de Reg. Jur. juxta illud. Una vobis manus vulnus opemque feret. Superiores enim, & Prælati & qui præficiuntur multitudini præditi debent esse in Legibus dispensandi facultate. Juxta illud Apost. 1. ad Cor. 9. v. 17. dispensatio mihi credita est. Et hinc tenendum cum D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4. in corp. ibi: Respondet, dicendum, quod dispensatio proprie importat commensurationem alicujus communitatis ad singula. Unde etiam gubernator familia dicitur dispensator, in quantum unicuique de familia cum pondere, & mensura distribuit, & operationes, & necessaria vitæ. Sic igitur, & in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat qualiter aliquid commune præceptum sit à singulis adimplendum. Contingit autem quandoque quod aliquod præceptum, quod est communitatis, ut in pluribus, non sit conveniens huic personæ, vel in hoc casu: quia, vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam indueretur aliquod malum, periculosum autem esset, ut hoc jusdico cujuslibet committeretur: nisi forte propter evidens, & subitum periculum. Et illi ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in Lege humana, quæ sua auctoritati innititur: ut scilicet in personis, vel in casibus, in quibus Lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum Legis non servetur. Si autem absque hoc ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune, imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret: propter quod Dominus dicit. *Luc. 12. Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Et hæc ratione possunt Prælati Ecclesiastici aliquando in matrimoniorum impedimentis dispensare pro impedimentorum qualitate. Impedimenta: etenim alia Jure Naturali, vel Divino Matrimonium dirimunt, ut sunt impotentia perpetua, error circa personam, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, ætas, impos rationis, & ligamen. Reliqua verò Jure Ecclesiastico dirimunt.**

In

In dirimentibus Jure Naturali, vel Divino, nequit Pontifex dispensare. *c. 4. de Usuris*, quia hoc jus superius Pontifice est, & inferior Locum superioris tollere, vel relaxare non potest: nisi facultate à superiore accepta. *c. 4. D. 21. c. 16. de Majorit. & Obed. Cl. 2. de Election. Et nunquam hæc facultas probatur concessa, nisi ad dispensandum in vinculo matrimonii rati. *Nazar. Man. cap. 22. n. 8. Saneh. de Matrim. lib. 8. D. 6. n. 10. Gonz. in c. 6. de Consang. n. 2. In aliis tamen impedimentis potest dispensare. c. 4. de Conces. Præbend. Sed in aliquibus non solet, nisi rarissime dispensare, ut in voto solemnii castitatis, in disparitate cultus, in 2. gradu consanguinitatis, in primo lineæ transversæ, in primo affinitatis lineæ rectæ, &c. Alia sunt impedimenta, quæ dispensatione nullatenus indigent, ut error, conditio, vis, metus, raptus, & clandestinitas. Tunc enim ipsi contrahentes possunt renovare, & revalidare matrimonium cum his impedimentis Juris Ecclesiastici potest Pontifex dispensare. Et quidem solus de Jure Communi, quippe solus ipse superior est Jure Ecclesiastico *c. 4. de Conces. Præbend.* Ita tamen, ut difficilius dispense in consanguinitate, quam in affinitate ejusdem gradus: facilius in remotiori, quam in propinquiori ejusdem lineæ: difficillime in paternitate, & maternitate spirituali facilius in compaternitate, & sic de aliis. *Saneh. de Matrim. l. 8. D. 19. n. 7. In gradu secundo lineæ transversæ nunquam dispensatur, nisi inter magnos Principes, & ob necessitatem publicam, sic decernent Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 5. Nisi Pontifex, qui superior Concilio est, aliud judicavit. In quo Decreto comprehenduntur etiam Magnates, & magni Domini titulares, vel magni Nobiles alicujus Regni, ut in nostra Hispania, quos dicimus: *Grandes de España. Saneh. de Matrim. lib. 8. D. 19. n. 2. contra Enriquez, qui l. 12. de Matrim. cap. 3. n. 6. Per Princeps intelligit viros opulentes.****

147 Nuntii Apostolici ex privilegio, aliqui Episcopi ex speciali delegatione habent facultatem dispensandi in aliquibus impedimentis, & ad usum talis privilegii ejus tenor attendendus est *arg. l. 5. ff. Mandat. Nec tunc potest Capitulum, Sedevacante, dispensare, quia non succedit Episcopo in his, quæ jure speciali Episcopo competunt. Nec Vica-*

rius Episcopi, sine Episcopi speciali mandato. *In titulo de Officio Ordinarii retuli facultates, quæ Episcopis Indiarum solent concedi ad dispensandum in impedimentis matrimoniorum. Commissarius Bullæ Cruciatæ habet tantum pro foro interno facultatem dispensandi in primo, & secundo gradu affinitatis, etiam lineæ rectæ ex copula illicita ortæ, & legitimi prolem ex ea ortam, quando matrimonium jam est contractum servata forma Tridentini; secus ad contrahendum. Et quidem requiritur, quod sit matrimonium contractum bona fide, saltem ex una parte, & impedimentum debet esse occultum, & debet pars ignara certiorari de nullitate prioris consensus, licet non de causa nullitatis. Et etiam potest dispensare in prædicto impedimento superveniente matrimonio ad petendum debitum. Et hæc facultas communicatur à Commissario Generali, Commissariis Subdelegatis, quos in his Indiarum partibus constituit, ut ex instructione expresse constat. Nostra societas ex concessione Romanorum Pontificum, quæ singulis vicenniis renovatur in celebri Constitutione. *Animorum saluti. Inter alia privilegia, habet, & sequens: Præterea ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputatis Presbyteris, cum Neophytis Provinciarum utriusque Indis, aliarumque Maris Oceani Regionum, in quibus inter infideles fideles existunt, & non adsum Ordinarii similes facultatem habentes, vel ultra duas dietas, juxta Constitutionem *fel. rec. Pauli III. editam existunt, in quocumque, seu quibuscumque, non tamen in primo consanguinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus: ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo, etiam scienter contracto, remanere valeant, in foro conscientia tantum, gratis tamen dispensandi: & insuper iidem locorum Ordinarii, ut de Presbyterorum eorumdem tanquam adiutorum, & Atestorum suorum in Locis præfatis, & ubi eorum commodè poterit haberi copia, consilio, & cum illis etiam in judiciali foro, in reliquis autem Provinciis præfatis Ordinariis presentia destitutis, vel ab eis ultra duas dietas, præfatas, non minus ducentis millibus passuum remotis, Provincialibus, & deputatis Presbyteris præfatis, cum eisdem Neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro, gratis dispensandi, & eos, qui in gradibus prohibitis hujusmodi, etiam scienter contraxerint: ab excessibus, & excommunicationis, aliisque censuris, & pœ-***

nis

94
nis Ecclesiasticis in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi. Quod privilegium in vitidi est observantia, & sæpe sæpius respondit tamquam Assessor in his causis matrimonialibus, quæ in hac Manilana, & etiam in Zebuana, & Camarinensi Diocesis obtigerunt.

148 Episcopus, de Jure Communi, potest in casu dubio dispensare ad cautelam, vel declarando non esse dispensationem necessariam, quia in dubio pro matrimonio contrahendi libertate standum est, donec contrarium constet. Quod si impedimentum dirimens appareat, ad Pontificem est recurrendum. Si verò in casu dubio presumptio stet contra matrimonium; v. g. quia constat de copula viri cum sorore suæ sponsæ, & dubitatur, an semen effusum sit intra vas: cum hoc regulariter accidat, nempe semen in copula effundi; non Episcopus, sed solum Papa potest dispensare, *Saneb. de Matr. L. 8. D. 6. n. 18.* Episcopus in nullo casu, etiam extraordinario, nisi habeat speciale privilegium, potest in impedimento dirimens dispensare pro foro externo, sed tantum pro interno, & sic dispensant Pœnitentiarii: siquidem *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* tantum pro foro interno concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus. *Saneb. de Matrim. lib. 2. D. 40. n. 10.* Pro foro ergo interno, potest, & solet dispensare in matrimonio jam contracto, quando aliqua necessitas instat, nam urgente necessitate licitum fit, quod alias illicitum solet esse. *c. 2. de Observat. junior. c. 4. de Reg. jur.* debentque sequentes condiciones concurrere, ut licite fiat dispensatio. 1. si matrimonium est bona fide contractum; nam mala fides non est digna simili indulgentia. 2. si publica præcesserunt denuntiationes, nisi forte in eis fuit dispensatum: qui enim culpabiliter eas omiserunt hoc beneficio privantur. 3. si impedimentum est tale, in quo valeat dispensatio concedi, & est occultum, scilicet, quod nequeat probari, vel etiamsi probari possit, non detur periculum, quod publicetur. 4. si sit difficilis recursus ad Pontificem, vel alium, qui dispensare possit: vel ob distantiam locorum, vel ob impeditam paupertatem, vel periculum incontinentiæ, & aliunde detur periculum in mora, & conjuges nequeant sine scandalo separari: tunc enim præsumitur Pontificem facultatem dispensandi concedere, siqui-

dem enim habet, non ad destruerendum, sed ad adificandum, ut Apostol. ait 2. Cor. 10. v. 8. *Trid. sess. 14. de Pœnitent. cap. 7.* ac proinde in bonum animarum, & ad vitanda gravia peccata concessa intelligitur, sic præbante Ecclesiæ consuetudine, & praxi, quæ est optima Legum interpret. *c. 8. de Consuetudin. Sylv. V. Dispensatio, q. 9. n. 15. Navarr. Man. V. Dispensatio, q. 9. n. 15. Navarr. Man. de Matr. lib. 2. D. 40. n. 3. Gutierr. Ponce, Gonz. in c. 6. de Consang. & affinit. n. 2. & alii contra Sc. Corad. Medin. & alios.* Eadem ratione tenendum est, Episcopum posse pro foro interno dispensare ad contrahendum matrimonium, si difficilis sit recursus ad Pontificem, vel alium, qui possit dispensare, & periculum sit in mora, scandalum timeatur, & non sit alia via evadendi, & impedimentum sit occultum. Requiritur tamen quod necessitas sit maxima, & urgentissima. V. g. si esset quis proximus morti, & vellet contrahere ad legitimandam prolem. Vel si jam sint omnia parata ad nuptias, & foemina maneat fatetur impedimentum, ex quo timeretur periculum vitæ, & honoris, quibus alia via non potest consuli. *Saneb. de Matr. lib. 2. D. 40. n. 7. Ponz. de Matr. lib. 8. cap. 13. n. 6. Gonz. in c. 6. de Consanguin. & affinit. n. 2.*

149 Idem quod de Episcopo dicendum est de Capitulo, quando Sedes vacat: nam succedit in potestate ordinariam Episcopi. *c. 11. c. 14. de Major. & obed. Et de Vicario Capituli: ac proinde tam Capitulum, quam ejus Vicarius potest dispensare, quando Episcopus, si viveret posset dispensare. Tamen Vicarius Episcopi non potest ratione sui officii dispensare in his casibus extraordinariis, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset in specie verisimiliter concessurus. *c. 81. de Reg. jur. in 6. similiter, qui habet privilegium dispensandi in casibus Episcopalis, nequit in his casibus dispensare, siquidem potius quam Episcopales sunt Pontificii. Saneb. de Matr. L. 2. D. 40. n. 9.* Præterea, potest Episcopus hanc facultatem ad dispensandum in casu extraordinario delegare suo Vicario; *arg. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* Imò & aliis Clericis idoneis, nam cum hac jurisdictione competat perpetuo ratione dignitatis Episcopalis est instar ordinariæ, ac proinde sicut illa, etiam potest & hæc delegari; ut contra *Bald. Felin. & alios tenent Navarr. Man. cap. 22. n. 45. Covarr. L. 3. Variat.**

cap. 20. ex n. 6. Saneb. de Matr. L. 2. D. 40. n. 14. Hæc tamen potestas est concedenda expressè, vel saltem concessa alia, quæ speciali mandato indigeat, debet addi clausula: *Et omnia alia.* Nec est necesse, quod concedatur, quando casus hic, & nunc occurrit, sed potest generaliter delegari pro quocumque casu occurrente. *Saneb. de Matr. L. 2. D. 40. n. 17.* Mendicantes, vi suorum privilegiorum, non possunt in impedimento, etiam occulto, dispensare ad validandum matrimonium; sed tantum ad petendum debitum possunt dispensare cum conjuge, qui cum consanguinea uxoris incestum commisit. *Rodrig. tom. 3. Regul. qq. 2. art. 2. Saneb. de Matr. L. 8. D. 6. num. 28. Ponz. de Matr. L. 8. cap. 13. num. 11.*

150 Etiam in impedimentis jure Ecclesiastico impedimentibus potest fortiori ratione Pontifex, ut Supremus Legislator, & jure ipso superior dispensare, *cap. 4. de Conces. præbend.* In impedimentis impedimentibus Jure Naturali, & Divino, qualia sunt sponsalia, & votum simplex castitatis, vel Religionis etiam dispensare valet; sed tamen solum ex justa causa. Nam sine ea, non solum illicitè dispensabit, sed etiam invalide: quamquam dispensatio sine justa causa in impedimento Ecclesiastico, valida sit, quamvis illicita. Nam si in matrimonio rato potest dispensare, bene poterit, etiam in sponsalibus. *Saneb. de Matr. L. 1. D. 61. n. 2.* Item in impedimento voti potest dispensare, sicut potest debitum per alia vota contractum, nomine Dei remittere. Tunc enim Pontifex concurret ex parte Dei remittendo obligationem Deo factam; & declarando, sibi esse placitum, ut non servetur. Nec alio pacto posset talis obligatio auferri; ut explicat *Suar. de Relig. tom. 2. lib. 6. de Vot. cap. 9. n. 15.* In impedimentis Juris Naturalis, vel Divini, numquam Episcopus dispensat: in provenientibus tamen a Jure Ecclesiastico dispensat; *arg. cap. 2. de Eo, qui cognovit,* sic testante omnium fere Ecclesiarum consuetudine. *Sylv. Navarr. Henriquez, Saneb. de Matr. lib. 7. D. 17. n. 15. Ponz. de Matr. L. 8. cap. 13. n. fin.*

151 Cum dispensatio debeat ex justa causa oriri, nunc referam causas, quæ justæ ad dispensandum pro varietate dispensationum censentur. Justæ ergo causæ ad dispensandum in voto castitatis, & Religionis sunt sequentes. 1. quia bono publico, quod particulari præferendum est, convenit talem voventem contrahe-

re matrimonium. V. g. ad pacem publicam stabilendam, vel conservandam; *arg. cap. 2. de Despons. impub. Saneb. de Matr. lib. 8. D. 20. num. 24. 2.* quando non aliter potest mederi nimia fragilitati carnis. Vel si vovens in periculo peccandi frequenter versetur. Vel si aliter non possunt sedari scrupuli, quibus vovens angitur, an satisfecerit. Vel quando actus venereus judicio Medicorum creditur necessarius ad subveniendum morbo continuo. Tunc potest in voto simplici castitatis, secus in solemnibus dispensari: sic enim præsumitur ex benignitate Dei. *Saneb. de Matr. L. 7. D. 26. n. 23. & 26. 3.* si votum sine maturâ deliberatione, ut solet à pueris sit emissum; *cap. 2. de Voto,* vel si metu, etiam levi; injusto tamen extortum sit; secus si justè sit metus incussus, etiam si gravis sit, ut metus mortis ex naufragio, vel morbo proveniens. *Saneb. de Matr. L. 8. D. 20. num. 12. 4.* quando cessat causa vovendi impulsiva. V. g. si quis sperans Religionem ingredi vovit castitatem, quam alias non voveret: si jam non sit admittendus potest dispensari. Si cesset omnino causa finalis, non est necessaria dispensatio. *Saneb. de Matr. L. 8. D. 20. n. 16. 5.* si dubium sit, an votum sit ex mutatione materiæ impediturum majus bonum; vel si materia sit jam mala, vel inutilis. Quando tamen certò constat, non est necessaria dispensatio. *Saneb. de Matr. lib. 8. D. 20. n. 10. 6.* si quis vovit; sed dubitat de intentione, vel deliberatione vovendi, potest dispensari. Si dubitet, an vovisset, non requiritur dispensatio. Tunc namque præsumitur pro libertate, quæ in possessione est. *Saneb. de Matrim. L. 8. D. 20. n. 11.*

152 Causæ justæ ad dispensandum generaliter in impedimentis dirimentibus sunt. Prima. Scandali vitatio, scilicet, quando matrimonio inito tollitur occasio peccati: v. g. Odii, inimicitiarum, homicidii, incontinentiæ, vel alterius gravis peccati. Similiter, quando pax stabilitur, & odia, & discordiæ extinguuntur, vel si aliqua etiam his extinguenda sit, *cap. 2. de Desponsat. impub. Saneb. de Matr. L. 8. D. 19. num. 8. & 9.* Similiter, si ob nimiam familiaritatem contrahentium orta sit suspicio, licet falsa, eos commercium carnale habuisse. Insuper si bona fide, saltem ex una parte, matrimonium sit contractum: etiamsi proles ex eo non sit suscepta solet dispensari, cum separatio non sine scan-

dalo fiat; *arg. cap. 6. de Consanguinit.* Si tamen contractum sit matrimonium cum mala fide ex utraque parte, dispensationis fiunt indigni. *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 5.* Similiter, si quis, cum consanguinea, vel affine copulam habuit, quæ vel ex imprægnatione, vel aliunde est nota, solet Pontifex facillè dispensare, ut honori, & famæ mulieris consulatur, & ne hæc infamata, & innupta maneat, vel saltem virum æqualis conditionis non inveniatur: modo non sit habita copula sub spe dispensationis consequendæ: & id in supplicatione exprimi debet. 2. est publica utilitas Reipublicæ. Sic Regibus, & Principibus, etiam in secundo gradui consanguinitatis, & affinitatis conceditur dispensatio, quin alia causa in specie allegetur. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 5. Sanch. de Matr. L. 8. D. 19. n. 5. 3.* conservatio alicujus illustri familia in eodem sanguine, similiter conservatio illius in aliqua dignitate, patrimonio, opibus, splendore, &c. *Conz. in cap. 6. de Consanguinit. n. 3.* Nam hoc aliquomodo ad bonum publicum pertinet; *arg. cap. 28. de Prebend. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 19. n. 31. 4.* meritum in Ecclesiam excellentia; v. g. ob bellum in Hæreticos, vel infideles factum, *cap. 17. l. 1. q. 7.* expedit enim, Ecclesiam in benemeritos se benignam ostendere, & liberalem, ut sic homines ad similia alliciantur. *Sanch. de Matr. L. 8. D. 19. n. 32. 5.* ætas puellæ, si hæc excedat 24. annum, & virum æqualis conditionis hactenus non invenerit. 6. loci angustia, quando non facillè fœmina virum æqualis conditionis genere, divitiis, moribus, vel Religione inveniret, vel ob ejus cognationem valde extensam, vel ob loci angustiam, vel quia locus ad litus maris situs est, & expositus hostium incursionibus, & non facillè inveniuntur extranei, qui ibi contrahere velint. 7. defectus dotis competentis ad contrahendum cum conjugæ æquali: ne alias fœmina, vel innupta remanere, vel cum viro inferioris conditionis contrahere cogatur. Denique Pontifex solet cum personis nobilibus, vel valde honestis in gradibus remotioribus dispensare, nulla in specie expressa causa; sed sub hæc generalitate: *ex certis, & rationabilibus causis.* De quibus latè *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 19. Navar. Man. cap. 22. n. 87. Conz. in cap. 6. de Consang. n. 3. Ponce de Matr. L. 8. cap. 21. ex num. 21. Lacrovæ lib. 6. part. 3. ex num. 819. Vincentius de*

Justis de Dispens. Matrim. lib. 3. cap. 2. & seqq.

153 Hæc sunt causæ, ex quibus Pontifex solet in impedimentis matrimoniorum dispensare. Et quidem, ut Pontifex possit in prædictis impedimentis dispensare omnino debet adesse aliqua ex prædictis causis, vel alia similis, si quæ est: & idem à fortiori de inferioribus Prælatibus dicendum est. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 5. D. Thom. 12. q. 97. art. 4. Suar. de Legib. lib. 6. cap. 18. n. 4. Ponce de Matr. L. 8. cap. 14. n. 3.* quia ut ait *Trident. sess. 25. de Ref. cap. 18. Sic frequentius Legem solvere, exemproque potius quam certò personarum, verumque delecto patentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire.* Alias enim non esset prudens, & fidelis dispensator ille, qui dispensat. Et quidem si inferior Papa dispensat, absolute requiritur causa ad valorem dispensationis: imò & in Papa ad dispensandum in impedimento Juris Divini, vel Naturalis, quando in eis dispensare potest, requiritur necessariò, causa ut dispensatio valida sit. *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2. ibi: Quod quidam dixerunt, quod idè Prælati possunt pro libito dispensare, quia in quolibet voto includitur conditionalitè voluntas Prælati Superioris; & sic Subditus absque omni remorsu conscientie posset votum prætermittere, quando documque sibi à Prælato diceretur. Sed prædicta positio falso innititur, quia cum potestas Prælati spiritalis, qui non est Dominus, sed dispensator in adificationem sit data, & non in destructionem, ut patet. 2. ad Corint. 10. Sicut Prælati non potest imperare ea, quæ secundum se Deo displicent, scilicet, peccata ita non potest prohibere ea, quæ secundum se Deo placent, scilicet, virtutis opera.* Quando enim aliquis, etiam Princeps Supremus, in sua Legè dispensat sine causa justa, illicite facit; etiam quando secum ipso dispensat. Valida tamen erit talis dispensatio facta sine causa, ac proinde Papa validè dispensat, quamvis illicite in impedimentis provenientibus præcisè ex jure Ecclesiastico; quia cum sit Dominus Legis, nula est ratio, nec jus, quo possit impediri ad Legem tollendam, quamvis peccet Legem auferendo, sicut Dominus prodigens rem propriam, dominium transfert, licet prodigendo delinquat. *Suar. de Leg. L. 6. cap. 19. n. 6. Sanch. de Matr. L. 8. D. 17. n. 24. Ponce de Matr. L. 8. cap. 14. n. 7.* Si plures causæ concurrant,

de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie. 97

rant, licet leves, facillius dispensatur, quia, quæ non possunt singula, cuncta juvant; *arg. L. 5. C. de Probat.* ut quidam Poeta dixit: *Fortitan hæc aliquis (nam sunt quoque) parva vocavit, sed quæ non prosunt singula, cuncta juvant.* Deinde quo majus est impedimentum major causa requiritur, quippe fortius vinculum, fortius ligat, & e contra, facillius in levioribus impedimentis dispensatur, & hæc ratione in impedimento publicæ honestatis facillè Papa dispensat, & hæc facultas Legatis, & Episcopis longè distans solet committi. Similiter, in cognatione spiritali orta ex paternitate facile dispensat: secus in paternitate. Nam in hæc, vel nunquam, vel difficillimè dispensat. In impedimento criminis ex machinatione in mortem conjugis orto, si publicum sit, nunquam dispensat: ne detur aliis ansa machinandi in mortem. Si occultum dispensatur in Penitentia: sed difficillimè. Si tantum ex adulterio nascatur, non difficillè Pontifex pro foro externo, & S. Penitentia pro interno dispensat. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 24.* Item cæteris paribus facillius cum Regibus & Principibus, quam cum aliis dispensatur: facillius cum nobilibus, quam cum divitibus, & aliis honestis personis: & facillius cum his, quam cum plebeis; *arg. Trid. sess. 24. de Refor. cap. 5. D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 19. ex n. 5.*

154 Profectò, subsistit dispensatio, etiamsi causa allegata pure impulsiva sit falsa, quia cum hæc ad dispensandum non moveat, sed solum juvet, ejus falsitas non vitiat dispensationem; imò, & si causa allegata finalis, & motiva sit falsa, non vitatur dispensatio, si præter eam causam, alia æquè motiva, & sufficiens allegetur; quæ sit vera, nam tunc resolvitur illa copulativa in disjunctivam; *arg. cap. 18. de Prebend.* Et tunc sufficit, unam esse veram ad valorem rescripti, & dispensationis, *cap. 4. de Rescriptis. & ibid. Conz.* Si verò unica causa motiva, seu finalis allegetur, & hæc sit falsa, vitatur dispensatio, etiamsi falsitas proveniat ex ignorantia, vel simplicitate allegantis; & etiamsi in rescripto non apponatur clausula. *Si ita est, vel si preces veritate nitantur,* quia hæc clausulæ ex se rescriptis insunt, *cap. 2. de Rescriptis.* Quando unica causa allegatur, hæc præsumitur motiva. Si ex pluribus causis allegatis, una sit falsa, & dubitetur an sit motiva, habetur pro impulsiva; ne actus peccat,

sed potius valeat. *L. 12. ff. de Rebus dubiis.* In causa quidem Textus in cap. 6. de Consanguin. & affinit. quamvis dispensatio ob falsam causam allegatam sit nulla, Pontifex dissimulare cum sic copulatis, ob scandalum permittit. *Covarr. de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 15. Gutier. de Matr. cap. 48. n. 1. Barb. & Conz. ibid. num. 1.* Ut dispensatio valeat, non requiritur, quod veritas causa subsistat tempore, quo impetrantes dispensationem scribunt, eam petendo, sed tunc quando dispensatio conceditur. Sive hoc fiat tempore, quo litteræ Romanæ expediuntur juxta styllum antiquum, nam tunc Papa dispensabat, & litteræ continebant gratiam factam. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 30. num. 4.* vel tempore, quo delegatus actu dispensat, juxta styllum hodiernum, quia Papa non actu dispensat, quando expedit litteras, hoc est tempore datæ: tunc enim tantum solet dare mandatum, ut delegatus (sive Episcopus, sive confessarius sit) dispense; ac proinde, tunc veritas causa adesse debet, nam sic Pontificis conditio verificatur. *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 20. num. 13. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 30. n. 12. Ponce de Matr. lib. 8. cap. 20.* Etiam tempore, quo Pontifex mandatum dispensandi dedit non subsisteret. *Garc. de Benef. p. 6. cap. 2. n. 283.* In utroque tamen tempore debere, ut valeat, subsistere, docet de Justis, de Disp. Matrim. lib. 1. cap. 6. num. 299. & lib. 3. cap. 1. n. 81. Facta dispensatione à delegato, absolute aufertur impedimentum, estque adeò perfecta gratia dispensationis, ut etiam cessante postea impedimento tempore, quo dispensatio est sortitura effectum, hoc est tempore, quo contrahitur matrimonium, adhuc habeat effectum dispensatio; *arg. cap. 9. de Filiis Presbyt.* Nam factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit incoari, *cap. 73. de Reg. jur. in 6. Suar. de Legib. lib. 8. cap. 20. n. 15. Ponce de Matr. lib. 6. cap. 20. n. 4.* contra *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 30. n. 14.* & alios. Quando fideliter allegata causa ad dispensandum, superior bona fide censet, esse justam, & dispensat valde dispensatio, etiamsi causa verè sit insufficientis: quippe hoc exigit recta, & prudens Ecclesie gubernatio, nam alias semper actus maneret obnoxii nullitati, cum magno incommodo, & perturbatione fidelium, & præjudicio publicæ tranquillitatis; *arg. L. 3. ff. de Offic. Prætor. Et contra Ponce de Matr. lib. 8. cap. 14. n. 8.*

Catropal. tr. 3. D. 6. p. 8. §. 2. num. 5. tenent Sanch. de Matr. lib. 8. D. 17. num. 8. Azor. p. 1. lib. 7. cap. 29. q. 6. & alii.

155 Pro diversitate impedimento-
rum, & circumstantiarum diversimode
etiam est petenda dispensatio. Quando
enim impedimentum est publicum, dis-
pensatio impetranda est in *Dataria*; ut
etiam pro foro externo deserviat, & etiam
ad contrahendum de novo matrimonium.
Et ibidem etiam peti debet, quando pe-
titur ad 1. gradum affinitatis, & ad
2. gradum consanguinitatis. Tuncque
ad ipsum Papam dirigitur applicatio, & debet
fieri in scriptis: alias non conceditur
dispensatio. Item debet concipi idiome
Latino, & quantum fieri potest, verbis
propriis. In *Poenitentiarum* petitur dispen-
satio, quando impedimentum est occultum,
& haec solum pro foro interno deservit:
& hoc habet locum, tam in impedi-
mentis impedientibus, quam dirimen-
tibus. Jure Ecclesiastico, & non solum
ad remanendum in matrimonio contrac-
to, sed, & ad illud contrahendum, nisi
adsit consanguinitatis impedimentum.
Nam in eo non dispensat *Poenitentiarum*
ante matrimonium contractum. At verò
post ipsum contractum, si impedimentum
sit occultum, & sit in 3. vel 4. gradu uti-
que dispensat: minimè verò, in primo,
vel secundo gradu consanguinitatis,
quamvis haec sit occulta. Quando in *Poeni-
tentiarum* petitur dispensatio ad Cardina-
lem *Poenitentiarum* majorem dirigitur
applicatio: quippe ejus nomine hujus-
modi litterae expediuntur. In supplicatio-
ne ad dispensationem non debet exprimi
causa falsa, nam reddetur dispensatio ob-
reptitia. Nec debet supprimi, vel recite-
ri, quod de jure, vel consuetudine, vel
stylo Curiae est exprimendum: alias, si
taceatur, etiam per ignorantiam, sub-
reptitia erit dispensatio: ac proinde in-
valida, etiamsi adhuc eo expresso Papa
dispensasset. Nam talis expressio, tam-
quam forma, requiritur, quae omnino
servanda; *arg. cap. 23. de Præbend. in 6. l. 5. ff. de Mandat.*

156 Primo ergo exprimi debet in
supplicatione, quæ fit in *Dataria*, nomen,
& cognomen petentium dispensationem,
non per abbreviaturas, sed per
characteres claros. Error nominis, licet
de Jure Communi dispensationem non
vitiet, tamen de stylo Curiae ad occur-
rendum fraudibus, eam vitiat; nisi error
esset verisimilis; v. g. in unius syllabæ
mutatione: ut si Antonius pro Antonino,

vel Bernardus pro Bernardino appone-
retur. Si in *Poenitentiarum* fiat applicatio,
non proprium nomen petentium, sed
aliud fictum apponitur; v. g. Titius, &
Seja. 2. Nomen Diocesis originis, &
quidem utriusque oratoris, debet exprimi.
Si verò ipsi velint, quod litteræ ad
Ordinarium domicilii dirigantur, id pe-
tere debent. Nomen enim loci, in quo
sunt orti, non debet exprimi, nisi simul
sit Diocesis: vel si dispensatio ob angus-
tiam loci, vel ob locum situm ad maris
litus petatur. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 21. n. 39. 3.* Causa movens ad peten-
dam dispensationem exprimenda est. Et
quidem si copula, etiam ab uno alio in-
cicio, sub spe dispensationem facilius con-
sequendi, est habita, debet exprimi. Si
quidem ex stylo Curiae solet haec apponi
clausula: *Dummodo copula habita non sit
spe dispensationis facilius obtinenda*: ne
alias ex proprio dolo commodum repor-
tet. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 25. n. 38.*
si tamen copula non sub hac spe, sed
ardore libidinis est habita, non est ne-
cessario exprimenda: siquidem ea expres-
sa, facilius concederetur dispensatio: ac
proinde ejus non expressione non reddi-
tur dispensatio subreptitia; *arg. cap. 20. de Rescript. Nec dispensatio irritatur,*
etiamsi haec clausula adjiciatur: *Dummodo
copula non est habita*: hæc namque clausu-
la intelligenda est de copula habita sub
spe facilius consequendi dispensationem.
Henric. Covar. Ponc. de Matrim. lib. 8. cap. 17. n. 32. & 33. Gonz. in cap. 6. de Consang. n. fin. contra Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 25. & alios.

157 4. Debet exprimi genus impedi-
menti ob majorem difficultatem, quæ in
ejus dispensatione potest inveniri. Et hæc
ratione exprimendus est numerus impedi-
mentorum: non solum si hæc diversi
generis sint, sed etiamsi sint ejusdem rati-
onis; v. g. si sit duplex consanguinitas,
vel cognatio spiritualis. Nec Papa censetur
velle tollere impedimentum, quod
ignorat; *arg. cap. 9. de Resc. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. num. 5. Gonz. in cap. 6. de Consang. n. 4.* Hinc debent omnia
impedimenta eisdem litteris exponi,
quia concursus plurium impedimento-
rum reddit dispensationem difficiliorum.
Covarr. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 23. n. 2. Ponc. de Matr. lib. 8. cap. 17. n. 32. Gutierr. eod. tract. cap. 123. num. 22. Sylvest. Suar. de Leg. lib. 6. cap. 24. n. 3. Ubi
hanc sententiam, non solum jurisconsulto
judicat in materia matrimonii, sed pro-
ba-

babiliorem, & practicè servandam esse
dicit contra Navar. *Enriq. & Gonz. in cap. 6. de Consang. n. 4. & alios.* Etiam debent
exprimi gradus consanguinitatis, an
primus, vel secundus, an in linea recta,
vel in transversa. Si exponatur gradus re-
motior pro propinquiori; v. g. quartus
pro tertio, vel consanguinitas, pro affini-
tate, vel è contra: etiamsi hoc fiat in-
culpabiliter, irrita est dispensatio ex de-
fectu voluntatis Pontificis. Si tamen pro
remotiori ponatur propinquior; v. g. Ter-
tius pro quarto: quamvis data opera hoc
fiat, valet dispensatio: quia si veritas ex-
primeretur, facilius dispensatio concederetur; *arg. cap. 20. de Rescript. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 24. num. 16. & 17.* si in
gradu inæquali conjuncti sint, sufficit ad
valorem dispensationis gradum remotio-
rem exprimi, debet tamen exprimi pro-
pinquior, ut per speciale Breve declare-
tur, propinquiorum gradum non obstare.
S. Pius V. in Const. Sanctissimus, 26. August. 1566. Executio dispensationis,
non expectantis his litteris declaratoris,
illicita erit, valida tamen, ut tenent
Sanch. de Matr. lib. 8. D. 24. n. 29. Ponc. de Matrim. lib. 8. cap. 17. n. 26. & 27. Si
dispensatio petatur in affinitate, ultra
dicta, requiritur, quod exprimat, an sit
ex copula licita, quando affinitas est
in primo, vel 2. gradu, secus in ulterio-
ribus; nam tunc continet impedimentum
publicæ honestatis, quæ oritur ex spon-
salibus matrimonium præcedentibus. Nec
impedimentum affinitatis ex copula illi-
cita potest. *Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 4.* ultra secundum gradum extendi-
tur. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. n. 40.*
si ex copula illicita, debet exprimi, an
sit habita cum pluribus sponsæ consan-
guineis: non tamen est necesse addere, si
pluribus cum eadem sit commissa. Nam
pro numero personarum, non pro numero
copularum crescunt impedimenta.
Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. n. 7. & 8.
In impedimento publicæ honestatis ex
sponsalibus orto, cum hoc tantum in
primo gradu dirimat post *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 3.* non est necesse,
gradum exprimere: secus si ex matrimo-
nio rato nascatur, quippe major difficul-
tatis in majori propinquitate invenitur.
Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. n. 16. In
cognitione spirituali debet exprimi, an
sit compaternitas, vel paternitas. Nam
in hac ob majorem indecentiam difficil-
ius dispensatur. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. n. 15. Ponc. de Matrim. lib. 8. cap. 17. Tom. II.*

n. 28. *Gonz. in cap. 6. de Consang. num. 4.*
Item an cognatio sit duplex; v. g. si uter-
que vicissim prolem alterius levavit in
baptismo. Vel si quis alterius prolem in
baptismo levavit, & in confirmatione
tenuit. Si verò plures ejusdem filios in
baptismo, vel confirmatione tenuit, non
multiplicatur cognatio. Deinde juxta ali-
quos debet exprimi, an cognatio ex con-
firmatione, vel baptismo orta sit: quia
cognatio orta ex baptismo magis imita-
tur cognitionem naturalem. Aliquando
non est necesse, quod utrumque impedi-
mentum eisdem litteris exprimat. 1. Si
unum sit occultum, ita ut sine infamia
exprimi nequeat: nec creditur, Papam
velle sibi tale impedimentum cum
periculo infamiae ostendi. Nam hoc tan-
tum exponi debet in *Poenitentiarum*, facta
tamen ibidem mentione de impedi-
mento notorio. 2. Si alterum impedi-
mentum alia via, quam dispensationis, tolli
possit; v. g. si cum consanguinitate con-
currat impedimentum sponsalium cum
alia: nam si hæc sponsalibus renuntiet,
jam est ablatum tale impedimentum.
Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 23. n. 6. 5. Si
matrimonium est contractum exprimi debet,
an sit contractum bona, vel mala fide
impendenti: & si mala fide, an
sub spe facilius dispensationem conse-
quendi. Si bona fide: an denuntiationes
præmissæ, vel omissæ fuerint sine justa
causa. Nam si sint culpabiliter omissæ,
raro conceditur dispensatio. *Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 5. Nec enim est dignus, qui Ecclesie benignitatem experietur, cujus salubria præcepta temere contempserit.*
In supplicatione pro secunda dispensa-
tione, non debet fieri mentio primæ dispen-
sationis: si utraque dispensatio ad
diversum finem dirigatur: imò etiamsi ad
eundem tendat, nisi forte dispensatio
vergat in præjudicium tertii, vel hoc sit
necessarium, ut Papa bene de impedi-
mento certioretur; *arg. cap. fin. de Filiis Presbyt. in 6. Covar. de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 8. n. 5. Sanch. de Matr. n. lib. 8. D. 22. n. 6. Ponc. de Matrim. lib. 8. cap. 17. n. 7. & 8.* Si aliquando fuit petita dispensa-
tio, & negata, si iterum petatur, vel
coram ipso, vel etiam coram infetiore,
jurisdictionem sufficientem habente, non
est necesse negationem antecedentem ex-
poni, cum id nullo jure requiratur. Nam
possunt rationes efficaciores proponi,
quæ superiores valeant ad dispensan-
dum movere. *Suar. de Leg. l. 6. cap. 22. n. 1. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 22. n. 14. Tom. II.*

Ponc. de Matr. l. 8. cap. 17. n. 3. Menoch. de Arbitr. cas. 203. n. 6.

258 Quando in Sacra Pœnitentiaria pro foro interno dispensatur, committitur executio alicui, in Sacra Theologia, vel Jure Canonico Doctore, vel privilegium ad hoc habenti, quale habet societas ex concessione Greg. XIII. Quilibet namque societas Sacerdos, qui sit approbatus ab Ordinario antequam litteras aperiat, & depuratus à Superiore, potest hanc dispensationem exequi. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 34. num. 11.* Hi enim omnes, si approbati sint ab Ordinario pro confessionibus audiendis (& non aliter) possunt exequi talem commissionem, sanè: Orator debet executorem eligere, & adhuc uno electo variare valet, alium eligendo, non solum postquam litteræ sint alicui confessario presentatæ, sed etiam postquam ab eo est pronuntiatum, dispensationem esse subreptitiam, potest adhuc impetrans alium confessarium adire, qui fortè opinetur, illud rescriptum valere: quin, & ipse confessarius potest re melius perspecta, exequi illam dispensationem, mutata sententia. Quod si semel dispensavit, cum jam actus sit consummatus, & perfectus, non potest retractare sententiam. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 27. n. 40.* contra *Navarr.* Hac dispensatio debet hodie fieri in Sacramentali confessione, & non aliter. Sic enim ex tenore litterarum modernarum constat, ut contra *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 34. num. 29.* tenent *Gobat, & alii.* Ibi enim examinare debet confessarius, an preces veritate nitantur. V. g. an separatio quoad domum nequeat sine scandalo fieri: si est periculum incontinentiæ si cohabitent. Et oratori, etiam sine juramento, Notario, vel Testibus fidem debet adhibere. Minimè tamen potest dispensare, si invenerit, preces esse falsas, vel si aliunde, extra confessionem, hoc sciat. Vel si veritatem necessariò exprimendum, esse tacitam cognoscat: quamvis pœnitens mentiendo firmiter asserat, preces veras esse; *arg. l. 5. ff. Mand. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 34. n. 21.* Deinde: antequam dispensetur ad permanendum in matrimonio debet tolli proxima occasio, & periculum peccandi: & dispensationi præmittitur absolutio à Censuris in forma consueta ab Ecclesia. Et quidem dispensatio solum tollit impedimentum in litteris expressum, non verò aliud, etiam si illud bona fide, & ignorantia invinci-

bili exprimere omiserit pœnitens; *arg. l. 5. ff. Mandat.* mulier caute debet certiorari de nullitate prioris consensus, ita ut delictum oratoris non detegatur: & potest renovari sine Parocho, & Testibus. Si præcessit matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, proles nata post talem dispensationem legitima erit in utroque foro etiam si in litteris nulla legitimationis mentio fiat. Si proles ante matrimonium putativum sit suscepta, erit solum in foro conscientiæ legitima: si post matrimonium contractum, etiam mala fide utriusque, etiam & tantum in foro conscientiæ legitima erit, itaque detecto impedimento, non habebitur proles, ut legitima. Si tandem sit suscepta post matrimonium contractum, saltem cum unitis contrahentis bona fide, in utroque foro proles legitima erit. Si orator suum peccatum jam est confessus, non debet executor novam ei pœnitentiam imponere, præter confessionem mensalem per totam vitam: quam elerare non potest, utpotè in litteris prescriptam. Si tamen nondum est expiatus delictum, pœnitentiam debet injungere executor proportionatam peccato, & circumstantiis doloris pœnitentis, ejus fragilitati, &c: minui tamen potest, si dispensatio tempore Jubilæi fiat. Dispensatione facta, non sunt restituendæ litteræ oratori, nec est dandum dispensationis testimonium, sed tenetur executor sub excommunicatione litteras lacerare, ita ut nullum eorum exemplum extet, authenticum scilicet, quod pro foro externo deserviat: potest tamen executor copiam simplicem pro sua, vel aliorum instructione retinere: imò, & ipsas litteras jam laceratas pro aliquo usu materiali. Sic dispensatus securus est tantum in foro interno, & conscientiæ, ita ut si impedimentum postea publicum fieret, deberent conjuges separari, quousque in Dataria pro foro externo, dispensatio obtineretur. Hunc ergo litterarum, que in Pœnitentiaria pro his dispensationibus conceduntur tenorem referam, ut eo accurate inspecto, aliqua difficultates, si occurrunt complacentur. Talis ergo est.

159 *Discreto viro Confessori (vel confessorio) Magistro in Theologia, vel Doctorum Doctore ex approbato ab Ordinario, per latorem presentium ad infra scripta specialiter eligendo. Ex parte lateris presentium nobis oblata petitio continebat, quod &c. &c. Nos itaque, qui Pœnitenti-*

riae Demini Papæ Curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica specialiter nobis concessa, discretionis tue committimus, quatenus si est ita, dictum latorem audita prius ejus Sacramentali confessione, ac sublata occasione, si qua ad hoc extat, amplius cum dicta sorore peccandi, à quibusvis sententiis, Censuris, & penis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentiâ salutari, ac confessione Sacramentali peccatorum suorum, singulis, scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, & aliis, que de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum præfatum sit occultum, & separatio inter latorem, & præfatum mulierem fieri non possit abique scandalo, ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter, timendum tibi visum fuerit, aliudque Canonice non obstat, cum eodem latore, & dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut lateris delictum nunquam detegatur, matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo secretè ad vitanda scandala, præmissis non ebriantibus contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam ex inde legitimam decernendo, in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentali confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo. Ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio lateri in foro judiciario nullatenus suffragentur: nullis super his Testibus adhibitis, aut litteris datis, aut processibus confectis sed presentibus laniatis, quas sub pena excommunicationis lata sententiæ laniare tenearis, ita ut nullam earum exemplum extet, neque eas lateri resituas, quod si eas resitueris, nihil ei præstes litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo Officii Pœnitentiariæ, &c.

160 Dispensatio pro foro externo solet committi, vel Ordinario, seu Episcopo oratorum, vel Officiali Episcopi: sic ejus Vicarius Generalis. Hispanè: *Provisor*, vocatur præcipuè ultra Montes. Citrà Montes verò Vicarius Generalis appellatur: verè tamen idem significat Officialis, ac Vicarius. Nomine tamen Vicarij, vel Officialis Episcopi non comprehenditur Vicarius Capituli, Sede vacante, ac proinde, hic non potest litteras exequi, etiam si antecederet fuisset

Episcopi Vicarius, & postea idem à Capitulo Electus, quod si eas exequatur, nulla est dispensatio, nullumque matrimonium, ut contra *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 27. ex n. 32.* tenent *Covar. Garc. & alii cum Lacr. lib. 6. p. 3. n. 889.* multoque minus comprehenditur Capitulum nomine Episcopi. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 27. n. 3.* si verò dispensatio dirigatur, Vicario, vel Officiali: v. g. Manilensi tunc quia non exprimitur, quod sit Vicarius Episcopi, sed tantum Diocesis, venit Vicarius Capituli: siquidem verè est Vicarius Manilensis. Dispensatio commissa Episcopo, nequit ab ejus Vicario fieri; nec è contra dispensatio Vicario commissa potest ab Episcopo exequi. Si Episcopus ante executionem litterarum moriatur, debent oratores expectare successorem, qui potest eas exequi, vel novam petere commissionem, quæ de stylo Curia dicitur *mutatio Judicis.* Si Vicarius Episcopi, cui est commissa dispensatio, non potuit exequi litteras ante mortem Episcopi, prosequi nequit, sed debet nova commissio peti. Si litteræ sint directæ Episcopo, vel Vicario, nulla facta mentione nominis sed tantum officii, vel dignitatis, successor in dignitate, & officio potest eas exequi; secus verò, si nomen proprium Episcopi, vel Vicarij, exprimitur; quia tunc industria creditur electa, quæ personæ adhæret, & cum persona expirat. Quod si commissio fiat alicui Officiali; v. g. Granatensi; si postea fiat Archiepiscopus Granatensis, vel alias desinat esse Vicarius, non potest dispensationem exequi, nec commissionem prosequi, quippè cum commissio sit realis, & quasi annexa officio, hoc deficiente, etiam commissio deficit, & transit ad successorem in Vicariatu. Si verò commissio sit personalis poterit de ea cognoscere, cessante Vicariatu, quia satis est fuisse Vicarium tempore, quo Pontifex ipsi dispensationem commisit: nisi fortè ob delictum officio privetur, vel jam habeat statum incompatibilem. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 27. n. 31.*

161 Executor nullam habet jurisdictionem, antequam litteræ originales eidem presententur, etiam si aliunde concessas esse sciat: nec matrimonium valet etiam de licentia executoris contractum Officialis, ac Vicarius. Nomine tamen Vicarij, vel Officialis Episcopi non comprehenditur Vicarius Capituli, Sede vacante, ac proinde, hic non potest litteras exequi, etiam si antecederet fuisset

de Rescript. in 6. Debet ergo executor postquam litteræ ipsi sunt presentate inquirere, an veræ sint preces, vel falsæ: sufficit tamen, quod hæc cognitio sit extrajudicialis, vel undecumque ipsi præcum veritas innotescat, quia hoc arbitrio, & conscientia illius relinquitur, si hæc cognitio omittatur, est nulla dispensatio; etiamsi preces veræ sint: quippe non adimpletur conditio rescripti, contenta in illa clausula: *Te de præmissis diligentè informes*: Et: *Si preces veritate nitenti repereris, tunc dispensas*. Aliud est quando adjicitur ea clausula: *Si preces veritate nitantur*. Nam tunc sufficit veritas præcum, etiamsi nulla præcedat cognitio: siquidem hæc in clausula non præscribitur. *Gave. de Benef. p. 6. cap. 2. num. 265. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 35. n. 15.* Debetque alias clausulas in litteris adjectas adimplere. Quod si inveniatur clausula insolita, & non conformes stylo Curie supersedere debet in eorum executione, cum ex hoc de dolo, & fraude suspectæ reddantur; *arg. cap. 6 de Crimine falsi*. Similiter debet supersedere, si aliud impedimentum, præter expressum inter contrahentes inveniatur. Si tamen preces veræ sint, nullumque aliud impedimentum obstat, sua sententia hoc declarabit, & juxta formam rescripti dispensabit, & sententiæ sub nomine subscriptæ tradet partibus transumptum authenticum, ut matrimonium contrahant juxta formam Concilii, quæ clausula solet in litteris adjici, sed non tollit, quod Episcopus possit in denuntiationibus dispensare. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 35. n. 19.* Executor non potest alteri dispensationem subdelegare; *arg. cap. fin. §. Caterum, de Offic. delegat.* informationem tamen potest alteri committere: nam ad informationem habet jurisdictionem: ad dispensationem tantum habet nudum ministerium. Executor intuitu dispensationis, nihil potest, nec potest, vel esculenta accipere, etiamsi spontè offerantur, nisi fortè post dispensationem factam: vel si ratione stipendii pro labore informationem faciendi aliquid recipiat. *Sanch. de Matr. L. 8. D. 35. n. 11. & 13. contra Navarr.* Deinde solet sæpè in rescriptis personæ qualitas adjici, dicendo, vel referendo, esse honestas, nobiles, vel principales. Et quidem si non tantum narrative, vel in principio rescripti hæc opponatur qualitas, sed in medio, vel tamquam motivum dispensationis, quod indicatur in illis verbis, *ut asserunt, &c.*

Tunc hæc qualitas coram executore est probanda; *arg. L. 2. C. de His, qui veniam etat.* Et sanè honestus dicitur, qui honestè vivit, nullaque turpitudine ejus familia laborat. *Nobilis*, qui abstinet, ab his quæ populares exercent. *Procreatus de nobili genere*, qui habet majores, vel saltem parentes nobiles. *Principales loci*, qui excellunt potentia, autoritate, vel opibus. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 19. n. 6.* Videndus signanter Vincentius de Justis de Disp. Matrim. lib. 3. cap. 2. n. 122. & seqq. *Pauperes miserabiles personæ* dicuntur, qui ex labore, & industria tantum vivunt, & de præsentii nulla habent bona, etiamsi habeant spem certam, & jus in futurum ad legatum, vel hereditatem consanguineorum, sed præcisè suo labore, & industria lucrantur honestam sustentationem, vel agriculturam, vel opificio, vel arte non liberali, & debet utique esse pauper, nec sat est, si unus pauper sit, dummodo alter sit dives; nam numerus pluralis requirit saltem duos. *L. 12. ff. de Testib.* Vincentius de Justis de Disp. Matr. lib. 1. cap. 7. n. 2. atque omnino est videndus à num. 72. & vidisse non pœnitabit.

162 Matrimonium, quod ex aliquo impedimento est nullum, ratificari debet posito novo consensu, non merè interno, sed externo, verbis; vel signis constante, qualis requiritur ad actum humanum matrimonii: & quidem utriusque consensus debet intervenire, quippe antecedens fuit nullus, *cap. 1. de Spons. D. Thom. in 4. D. 40. q. un. art. 4. ad 6. Scot. Covarr. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 32. ex n. 2.* Debetque præcedere respectu utriusque conjugis notitia nullitatis antecedentis matrimonii; aliàs consensus dependens ab existimatione validitatis prioris matrimonii ex errore procederet: ac proinde ad matrimonium, quod de novo contrahendum est, non deserviret. *L. 15. ff. de Jurisdic. Et hoc deducitur ex tenore litterarum, & Bullæ Cruciatæ, & ex quodam responso Clem. VIII. Sanch. de Matr. L. 2. D. 36. n. 4. Ponz. de Matr. L. 4. cap. 24. & alii contra Cajet. Angel. Sot. Vera-Cruz, Henriq. de Matr. L. 11. cap. 3. n. 6.* Idem ob easdem ferè rationes tenendum est, etiamsi nullitas matrimonii proveniat ex defectu consensus præstiti fictè, vel per metum, vel terrorem; ita *Felin. Palacios in 4. D. 27. disp. 1. f. 566. Ponz. de Matr. L. 4. cap. 25.* ubi hoc ex quadam declaratione Clem. VIII. & alia clausula Bullæ Cruciatæ confirmat, contra *D. Thom.*

in 4. D. 9. 29. q. un. art. 3. q. 2. ad 2. Div. Bonaventur. Hostiens. Juan. Andr. Navarr. Man. cap. 22. n. 51. & 80. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 32. n. 9. qui probabilissimè tenent, sufficere novum consensum tantum ex parte illius, qui fictè contraxerat; ac proinde non requiri notitiam nullitatis, nisi tantum ex parte ejus, qui novum debet ponere consensum. Quæ sententia potest praticari, quando aliquid inveniatur inconveniens in eo, quod conjux de hac nullitate certioretur. Si nullum periculum, vel scandalum timeatur in manifestatione nullitatis clarè manifestari debet; si verò aliquod scandalum timeatur; v. g. periculum vitæ, vel infamiae, vel desertio liberorum potest revalidari sine determinata notitia de nullitate. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 36. n. 5.* Si impedimentum est occultum, & matrimonium antecesserit est in facie Ecclesiæ celebratum potest ratificari privatim. Si impedimentum est publicum debet de novo coram Párocho, & testibus celebrari; *arg. Tryd. sess. 24. de Reform. matr. cap. 1.* Confessarius advertens impedimentum, quod conjuges ignorant, si nullum timeat inter ipsos scandalum, ipsis illud detegat; secus verò, si scandalum timeat: tunc enim eos in bona fide relinquere oportet.

TIT. XVII.

Qui filii sunt legitimi.

163 Filiorum nomine propriè veniunt solum immediate ex parentibus orti, sicut nomine liberorum ulteriores etiam decedentes intelliguntur; & etiam filia nominè filiorum comprehenduntur. *L. 116. L. 201. ff. de V. S.* Fili ergo triplici modo sunt legitimi. 1. ex nativitate. 2. ex subsequente matrimonio: 3. ex rescripto Principis. Si filius 1. modo non sit legitimus, sequitur secundus, dum filius sit naturalis, & per talem modum ferè in omnibus æquiparatur legitime natis: addo, ut comprehendatur in statutis requirantibus, aliquid esse legitime natum. Si secundus modus non habeat locum, sequitur tertius: qui quidem est extraordinarius, & regulariter non conceditur, si filius legitimus, vel saltem naturalis inveniatur; qui per subsequens matrimonium possit legitimi: nisi aliud vellent expresse Principes legitims. Alius modus erat olim legi-

timationis, scilicet per oblationem curiæ, quando nempe pater liberos, vel eo mortuo ipsi liberi se offerrebant curiæ, seu ordini Decurionum, *§. fin. Inst. de Nupt. L. 3. C. de Natur. Liber.* quin etiam, & alii modi legitimandi solent haberi. *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 68. art. 3.* Et quidem filii, alii sunt legitimi, alii illegitimi, legitimi alii sunt legitimi tantum, qui, scilicet, tales sunt, non natura, sed beneficio Legis; quales sunt adoptivi. Alii sunt legitimi, & naturales, qui, scilicet, ex justis nuptiis saltem putativis nati sunt, *cap. 2. b. t. pr. Inst. de Patr. potestat. L. 1. tit. 13. p. 4.* ibi: *Aquelllos deben ser llamados legitimos, que nascen de padre, & de Madre, que son casados verdaderamente, segun manda Santa Iglesia.* Illegitimi sunt, qui extra matrimonium, saltem putativè tale procreati sunt: quod si inter parentes potuit matrimonium consistere, vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel medio, dicuntur naturales. Tales sunt, qui ex solutis nascuntur, etiamsi voto simplicis castitatis parentes ligati sint: nam votum simplex castitatis (excepto societatis post biennium) quamvis matrimonium faciat illicitum, non tamen invalidum; *arg. cap. 6. b. t. filius natus ex soluta, & Clerico in minoribus constituto, vel Novitio Religiosis, vel ligato sponsalibus cum alia naturalis est. Ponz. de Matr. lib. 11. cap. 2.* quod si matrimonium inter parentes aliquo ex his temporibus non potuit consistere, filii dicuntur spurii. Quod si alter eorum erat conjugatus, dicuntur adulterini, *cap. 4. 32. q. 4.* si alter erat Religiosus, vel Monialis dicuntur sacrilegi: si parentes erant consanguinei, vel affines, dicuntur incestuosi. Si nascuntur ex concubitu ascendendum, dicuntur nefarii, *§. 1. Inst. de Nuptiis.* Nati ex coitu, quem Leges puniunt, quale est adulterium, incestus, sacrilegium, &c. dicuntur nati ex damnato coitu. Spurius dicitur, teste *Nebriensis*, vel quasi sine patre filius, vel ab eo, quod *Græcè Sophroni*, Latine pudenda interpretantur. *Hispane: Bastardo*: dicitur. Naturales de Jure Civili dicuntur, qui nati sunt ex soluto, & concubina, quæ domi, tamquam uxor habita erat, & cum qua nullum erat dirimens impedimentum. In nostra Hispania, quinam, ut naturales sint habendi statuitur in *L. 11. Taur. L. 9. tit. 8. lib. 5. R. C. Mandamos, que entonces se digan ser hijos naturales, quando al tiempo que nacieren, &*